CHARISSIMO IN CHRISTO filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico. Locus annuli Piscatoris.

VRBANVS PP. VIII.

CHARISSIME in Christo fili noster, Salutem, & Appostolicam benedictionem. Ad vniuersalis Ecclesiæ regimen meritis licet imparibus inperscrutabili diuinæ Prouidentiæ iudicio vocati, piorum Regum vota, vias, modosq; exquirentium, quibus nefarij hostium orthodoxæ fidei ausus reprimi, & dissipari valeant; ipsius verò fidei defensioni, & propagationi, diuiniq; cultus incremento consulatur, libenter exaudimus, & Pastoralis officij nostri partes in tam sancto opere fauorabiliter interponimus, prout temporũ, & rerum qualitatibus debitè pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Cũ itaquè sicut Maiestatis tuæ nomine nobis nuper expositum fuit, laici subditi Regnorum tuorum Castellæ, & Legionis, in eorum nouissimis Cõmitijs, sinè Curiis de anno M.DC.XXII. proximè præterito habitis, animaduertentes subsidium decem & octo millionum nummorum aureorum, spatio nouem annorũ ex gabellis, seu sissis tũc impositis super vino, oleo, aceto, & carne soluendum, aliàs à prædictis subditis tuis pro Fidei Catholicæ defensione, & obedientiæ erga Romanam Ecclesiam conseruatione Maiestati tuæ oblatum, & à nobis per nostras in simili forma Breuis sub die XXIX. Maij M.DC.XXIX. expeditas litteras ad nouẽ annos sub cer-

tis modo & forma tunc expreſsis approbatum, & confirmatum, ob nonnullas cauſas effectum ex tunc de cætero ſortiri non poſſe, imò pœnitus ceſſaſſe; tuam vero Maieſtatem ad reprimendos eiuſdem fidei orthodoxæ hoſtium conatus, aſsiduè grauiſsimis ſumptibus vrgeri, tuaq; æraria pœnè exhauſta eſſe, ita vt niſi de alio extraordinario, celerique, & prompto ſubſidio prouideatur, eoſdem ſumptus in tam laudabilem & Deo gratam, & Reipublicæ Chriſtianæ vtilem cauſam conuertendos diutius ferre difficilè poſsis, loco prædictorum millionum aliud ſeruitiũ, ſiue ſubſidium ad ſummam decem & nouem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis in totum aſcendens ſpatioq; ſex annorum à die prima menſis Auguſti, Anni M. DC. XXXII. proximè præteriti inchoatorum trium ſcilicet millionum & vnius quarti alterius millionis huiuſmodi pro quolibet anno ſoluendũ, & exigendum ex gabellis, ſeu ſiſsis impoſitis & auctis ſuper eiſdem quatuor ſpeciebus, vini, ſcilicet, olei, aceti, & carnis colligendis, & conſumendis in dictis Regnis Caſtellæ & Legionis ſoluendis non ſolum per ementes & vendentes, ſed etiam per eos, qui prædictas rerum ſpecies percipiunt ex propijs terrenis, vel affictibus, aut reſpectiuè emunt in vuis, vel oliuis, ſeu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, ſeu aliàs ex quovis alio reditu & introitu habent & conſumunt, præſtare promptè obtulerint, ita vt omnes laici cuiuſcumq; gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ ad id ſubſidium contribuere, ac gabellas, ſeu ſiſſas huiuſmodi ſoluere deberent, neq; vllus laicus immunis eſſet, aut exemptus, Eccleſiaſtici quoquè eorundem Regnorum ſi & poſtquàm noſtra, & huius ſanctæ Sedis licentia, ſeu approbatio acceſſerit, in ſubſidio huiuſmodi ſcilicet in præfatis gabellis ſuper eiſdem quatuor ſpeciebus impoſitis, & tunc auctis cõtribuere, gabellaſq; ſeu ſiſſas prædictas iuxta literarum noſtrarũ in forma Breuis ſuper conceſsione prædictæ licẽtiæ, ſeu approbationis

expediendarum formam, continẽtiam, & tenorem persoluere debeant. Et sicut expositio Maiestatis tuæ subiungebat, si tantummodò laici ad subsidium huiusmodi contribuerent, & gabellas, seu sisas prædictas soluerent, summa prædicta decem & nouem millionum cum dimidio alterius millionis minime conficeretur infra tempus opportunum, quo Maiestas tua bellorũ contra fidem Catholicã ingruentiũ, & præcipuè charissimi in Christo filij nostri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorẽ electi in Germania ad reprimendum Suecorum inuasiones, aliorũque hæreticorum conatus bellum ad præsens gerentis necessitatibus subuenire posit, & ad summam præfatã ea qua expedit celeritate conficiendam facultates laicorum non suppeterent. Nobis propterea Maiestas tua humiliter supplicari fecit, vt præmissorum confirmationem, & approbationem, ac licentiam concedere de benignitate Appostolica dignaremur. Nos igitur ne dum promptam & obsequentem eorundem laicorum subditorum tuorum in te oblationem, verum etiam Maiestatis tuæ erga prædictam fidem Catholicam zelum, & in ope dicto Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem electo ferenda voluntatem commendantes, ac ad ingentes sumptus, quibus Maiestas tua propter vrgentes & extraordinarias necessitates huiusmodi iugiter premitur, nostræ paternæ considerationis intuitum dirigentes, Clerum præfatum in solutione gabellarum, seu sisarum prædictarum modo tamen & forma infra scriptis hac vice concurrere debere censuimus. Motu igitur propio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Appostolicæ potestatis plenitudine omnes & singulas Ecclesiasticas personas tam sæculares, quam cuiusuis ordinis, etiã exempti, & Appostolicæ Sedi immediatè subiecti regulares, necnon Monasteria vtriusque sexus, Conuentus, & Collegia, ac Capitula Ecclesiarum Regnorum Castellæ, & Legionis præfatorum, ac in eisdem Regnis commorantes, &

consistentes ad conferendum, & contribuendum, prout laici, in dicto subsidio decem & nouem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi, mediante scilicet solutione prædictarum gabellarum, seu sissarum super vino, aceto, oleo, & carne in dictis Regnis colligendis, & consumendis impositarum, & durante sexennio proximo à dicto primo die Augusti M. DC.XXXII. vt præfertur inchoato duntaxat & nō vltra teneri, & obligatos esse, non tamen quoad prædictas quatuor rerum species, quas ex proprijs terrenis, seu decimis, aut alijs quibuscumq; redditibus proprijs per se, vel alios etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosinis percipiunt, & pro diuino cultu, seu proprijs, vel familiarum suarum vsibus consumunt, pro quibus omnino immunes & exempti sint, & elapso prædicto sexennio exactio respectu Ecclesiasticorum cesset, & nullatenus quovis prætextu, vel causa continuari possit, etiam si integra summa præfatorum decem & nouem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi adhuc non fuisset exacta. Quodq; si antè sexennium huiusmodi finem summa decem & nouem millionum nummorum aureorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi confecta fuerit, Ecclesiastici præfati amplius contribuere, & dictas gabellas, seu sissas, vt præfertur, soluere non debeant, sed præsens gratia expiret, nullaq; sit eo ipso tenore præsentium decernimus. Decernentes etiam quòd omnes & singuli Ecclesiastici præfati soluere recusantes opportunis iuris & facti remedijs per ordinarios Ecclesiasticos locorum tantum ad solutionem huiusmodi cogātur, non autem coram iudicibus laicis, siue exactoribus earundem gabellarum, siue sissarum, neque quibusvis alijs iudicibus aut ministris sub pœna excommunicationis maioris, ac alijs pœnis à sacris Canonibus & constitutionibus Appostolicis inflictis, & comminatis ipso facto incurrendis (à quibus à nemine, præterquam à nobis, & Romano

mano Pontifice pro tempore exiſtente abſolui, etiam vigore quorumcumque priuilegiorum Appoſtolicorum etiam Cruciatæ ſanctæ nequeant) conueniri nullo modo poſsint, ſeu debeant, ſed à præfatis ordinarijs Eccleſiaſticis tantum ad ſolutionem huiuſmodi compelli valeant, quibus ordinarijs ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac ſuſpenſionis, necnon omnibus & ſingulis Maieſtatis tuæ officialibus, & miniſtris cuiuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, ac alijs quibuſcumque ſpetiali nota dignis, etiam Appoſtolicæ Sedis Delegatis, & Commiſſarijs etiam Cruciatæ prædictæ, cæteriſque omnibus alijs ad quos quomodolibet ſpectat, & pro tempore ſpectabit ſub prædictæ excommunicationis maioris pœna eo ipſo incurrenda diſtrictè præcipiendo mandamus; vt diuini iudicij memores, ne Clerum, & Eccleſiaſticos indebitè, neque vltra præter, aut contra continentiam & tenorem præſentium noſtrarum litterarum grauent quomodolibet, nec à quoquam grauari permittant, & ne dum contra quoſcumque contrauenientes, & quomodolibet in obſeruantes ad ſententiarũ, cenſurarum, & pœnarum prædictarum declarationem, & promulgationem reſpectiuè, ſed etiam contra eoſdem Eccleſiaſticos, & Regulares etiam exemptos, nobiſque & Appoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectos ſoluere recuſantes ad quamcumque ſimplicem eorundem exactorum requiſitionem etiam executiuè, ac quacumq; appellatione remota, auctoritate noſtra procedant. Volumus autem quòd iſtud ſubſidium decem & nouem millionũ cũ dimidio alterius millionis ſuccedat loco quorũcumq; aliorũ ſubſidiorũ ſuper millionibus per nos hactenus approbatorum & cõceſſorum, ita quòd illorũ vigore nihil amplius à quoquã exigi poſsit, quodq; pecuniæ ex prædictis ſubſidijs, & gabellis, ſeu ſiſsis, vt præfertur à dictis Eccleſiaſticis exigendæ in præfatos & nõ in alios vſus cõuertãtur, ſuper quo Maieſtatis tuæ cõſcietiã oneramus.

De

Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, sicq; per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Appostolicis etiam in quibusvis generalibus Concilijs editis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Appostolicis, Ecclesijs, Regnis, Personis, Capitulis, Monasterijs, Conuentibus, Collegijs, & alijs præfatis sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficatioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusq; & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro illorũ sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus spetialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque, vt autem præsentes nostræ literæ, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius deuenire possint. Decernimus, vt earum exemplis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die V. Martij M.DC.XXXIII. Pontificatus nostri anno decimo. M. A. Maraldus.

que v. exc.ª fui a corregir y concertar este tr.ᵈᵒ
con su original que volui a la parte de su pedim.ᵗᵒ y va cierto
y verdadero y concuerda con el. En Lima a doze dias
del mes de julio de mill y seis y tr.ᵗᵃ y cinco años.
y en ffee dello lo signé y firmé

En testimonio de verdad

Fran.ᶜᵒ de Lilarme